Segonda ...

Generose Domine 1

Generose Domine Lukaszkiewicz

Amice Mi CGEMS

Opuscula in his Miscellaneis sub N[o] contenta sunt.

COLOSSVS IMMORTALI-TATIS.

Serenissimo ac Potentissimo

VLADISLAO IV.

POLONIÆ ET SVECIÆ REGI,

MAGNO DVCI LITHVANIÆ, &C.&C.

IN

ANNIVERSARIA DIE

relatæ ex Moschis victoriæ.

A

M. BALTHASARE STANSL. PRZYLVSKI,
Rhetoricæ in Colleg. Bialeń. Professore,
Seniore Contubernij Vilsciani,

reuerenter erectus.

LVBLINI, Apud Viduam Pauli Conradi.

Diem, Domine, quo ſeruaſti imperium, quantâ mereris lætitiâ celebrauimus, precati Deos, vt te generi humano, cuius tutela & ſecuritas ſaluti tuæ innexa eſt, incolumem florentemq; præſtarent.

Plinius Secundus Traiano Imp. lib. 10. *Epi.* 60.

PERILLVSTRI ET REVERENDISSIMO DOMINO.

D. NICOLAO DE SIECIN KRASICKI,

I. V. D. PROTONOTARIO SSmi D. N. PAPÆ VRBANI VIII. ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ, ARCHIdiacono & Administratori Sede vacante Episcopæ Luceorien. Præposito Krasiceń. ac S. R. M. SECRETARIO.

Dômino & Patrono Colendissimo.

NON sola Rhodos Soli, verum etiam Sarmatia Regi suo erigit Colossos; atq; eo maximè tempore, debita cum submissione consecrat, quo facit Victoriæ Moschouiticæ memoriam Anniuersariam. Et sane meritò: nec enim tantùm apud Rhodios grati animi declarator Chares Lindius reperitur: nec dum omnis penè natio de omnibus VLADISLAI IV. *fortissimè gestis commemorare sibi pulchrum ducit; mihi mentio gloriose ex Moschis reportatæ victoriæ turpis esse potest. Scio quàm multi antea tàm insignem victoriam egregiis celebrarunt,*

runt prædicationibus; sed me id mouit nihil, tum quod sicut pugna, ita & triumphus plures recipit buccinatores; tum quòd minimè erubesco eruditorum vocari Echo modò apud Pana in gratia. Quem cùm nomino, Te, Perillustris Domine, intelligo: cui non Amynthæ cannam, at COLOSSVM IMMORTALITATIS *offero cultu officioso. Tametsi enim fortunatissimo Regi libenter adscribimus victorias; tanquam ei, qui iuxta morem veterum Germanorum noluit in Sacrosancto viuere Coniugio, nisi prius tot hostium capita obtulisset Patriæ; nihilominus ab his trophæis nemo sanus potest secernere vestrum regale Sacerdotium. cuius Sanctissima holocautomata istam nobis à* DEO *impetrarunt victoriam; quo velut Moyse manus in cœlum tollente, nouus hic Iosue superabat Amalechitas. cuius deniq; preces confirmabant nostrorum militum dexteras, & hostilium gladiorum cuspidem retundebant. Quare, Reuerendissime Domine, cum hæc victoria fructus sit lachrymarum atque obsecrationum vestrarum, cumq; vestri fletus pepererint Serenissimo Regi immortalitatis* COLOSSVM; *iustissimam habeo causam, ob quam Tibi eum quantulumcunq; dedico sermonem. Accedit huc, quòd sicut clarissimis genere & virtute Maioribus Tuis erat proprium, ita Tibi planè hereditarium Reipub. atque Ecclesiæ commodis seruire; propter quod vtraq; non solùm te viuum colet; verùm cineres etiam Tuos æternis celebrabit laudibus. Et licet in omnibus actionum partibus ita Tibi semper constas; vt referas Iani prouidentiam, Nestoris grauitatem, Carneadis vim dicendi, Reguli*

guli fidem; tamen in hac Administratione Episcopæ, adeò Te præbes eximium; vt potius admirari valeam, quàm consequi oratione, Tuæ prudentiæ atque iustitiæ maiestatem. Omnino velut Atlas fortissimus tuis humeris orbem hunc Ecclesiasticum fulcis, erigis, sustines; quorum & anteactorum in Ecclesia DEI *& Patria meritorum, amplissimam quantocyus referas testificationem, ex animo precamur. Mihi porrò non mediocre accedet ornamentum; si me iudicaris haud indignum, qui per Te alloquar magnum Sarmatiæ Regem: Fateor quidem minus à me sufficienter esse tantum erectum* COLOSSVM: *ast qui velit res gestas Potentissimi Regis complecti; sæcula sibi optare debet, & innumerabiles annos, & quantam Rex ipse meretur ætatem. Illud quoque non nego Serenissimum* VLADISLAVM IV. *qua modestiâ est, ferè obliuionem istius victoriæ malle, quàm gloriam: sed Moschi victi, libenter audiunt, quòd hunc tantum ac talem, non alium habeant victorem; mihiq́, vt amici fædere ignoscunt, si quando iure belli hostes appellati. Accipe igitur, Reuerendissime Domine, eum* COLOSSVM: *immortalitatis; quia immortalem refert victoriam, immortalem factis Regem; hoc ipso felicior Rhodio, quamuis ille post multam seriem annorum terræ motu prostratus, iacens quoq́ fuit miraculo. Ac illius pauci pollicem præ magnitudine amplectebantur: hunc totum, meque simul benignâ modò & grata facilè comprehendes manu. Quod ego te vehementer rogans; ita immortalitatem voueo inuictissimo Regi, vt vita diuturna sit,*

 & æter-

& æterna maiestas. Tibi verò Reuerendissime Domine, & per te, vt Ecclesiæ ac Reipub. nostroq; Collegio, prospera omnia, & digna sæculo tuo contingant, valdè quàm exopto. Dat. Bialæ. Die 17. April. A. D. 1638.

Perillustri & Reuerendissimæ D.V.

deuotissimus,

M. BALTAZAR. S. PRZYLVSKI,

Rhetoricæ in Colleg. Bial.

Professor.

S. C. V.

COLOS-

COLOSSVS IMMORTALITATIS.

LÆTVS ILLE AC CELEBRIS DIES REdiit: quo illustris, & ante hoc tempus inusitata, de Moschorum gente victoria à Te relata, Serenissime ac potentissime Rex VLADISLAE: cùm vniuersam Rempub. Polonam iucundissimâ luce compleuit: tum Nomini Tuo perquàm augusto, famam in omne sæculum, gratissimo Posterorum celebrandam sermone, conciliauit. Itaq; lætarinè debeat, an mirari subditus Tuus? sanè ignorat. Ad lætitiam, & faustas acclamationes incitatur communis Patriæ exemplo, hilarem ac erectum præseferentis vultum; dum secum ipse recolit; quomodo alij propter hostes feliciter domitos ingenti cumulati sunt gaudio: alij propter Regiam Maiestatem saluam ac sospitem ad sedes Patrias reductam; ritè ac piè, vt debûere, supremo ac præpotenti rerum Moderatori gratias agebant immortales. Sed potissimùm incipit mens exultare; quando identidem repetit, ad Maiestatis Tuæ optatissimum Varsauiam ingressum; tantum omnium ætatum atq; ordinum concursum factum, tam effusam, tantamq; omnis generis multitudinem; vt illa ipsa Vrbis

mænia,

mænia, si natura pateretur, sedibus suis relictis, obuiam Tibi prodire quodammodo cupere viderentur. In admirationem verò adducitur vehementem; quoties occurrit Tuæ in vindicandis perduellibus inauditæ celeritatis ratio: ob quam, nisi te hominem cerneremus; ipsum præliorum Numen, seu cælestem aliquam in humano corpore Potestatem censeremus. Quis enim homo, aut tam inuictæ fortitudinis; ad cuius aduentum inflati animis hostes, immanitate barbari, multitudine innumerabiles, omniq; copiarum genere abundantes perhorrescunt? aut tam stupendæ in conficiendo bello pernicitatis: qui statim vt venit, vidit, Hostem, simul vicit, veriori fortunæ spectaculo, quàm olim Cæsar de Pharnace prædicandus? aut deniq; tantæ prosperitatis in regenda Polonia? de cuius medio si quis mortalium sublatus per fauorem diuinum, in aliquo proximo cœli loco reponatur; ac respiciat incredibili villas lætitiæ gestientes voluptate, vrbes apparatissimè triumphantes, atq; plena hilaritatis omnia: profectò desiliet è nubibus, nec non viciniam cœli cupidè derelinquet; vt Tibi subiaceat Regi fortunatissimo, atq; terris Tuis felix perfruatur. Quocirca, Potentissime Rex, in hac gratissima Moschouiticæ victoriæ recordatione; liceat talium rerum magnitudine commotis, & redundantem, atq; extra pectoris arcana erumpere gestientem lætitiam styli officio testificari; & admirationem tam rari in bello certaminis atq; roboris, dicendi tenuitate indicare. Arduum quidem est eloquio tanquam publico præcone,

cone, Monarchæ amplissimas virtutes in illustri hominum omnium theatro, ad sempiternam posteritatis memoriam commendare: ast ipsa etiam Numina animaduertimus, non tàm accuratis venerantium precibus, quàm modestiâ & moderatione gaudere; gratioremq; existimari, qui aris eorum purum ac innocentem animum, quàm qui meditatam intulerit orationem.

Non prædicabitur hic immensa, & super optata humana, à præstanti ac æterna natura ad Te delata magnitudo bonorum: quæ vt Tibi perennia & perpetua in constanti maneant statu; nos Sarmatæ partim communis incolumitatis atq; imperij, partim Tuâ causâ, (sicut in dies singulos facimus) nihil magis velle, & optare debemus. Neq; nunc repetetur, quantas Tu res superioribus pacis temporibus & belli, quantaq; felicitate, iam assentiente Repub., exercitu obtemperante, hoste tremente, iam ventis etiam, tempestatibusq; obsecundantibus ab ipsa gesseris iuuentute. Sic enim semper Tibi quædam ad amplitudinem & gloriam, & ad negotia excelsa benè peragenda diuinitùs adiuncta fortuna; vt in Tua potestate reposita esse videatur. Cuius benigno flatu aspirante ita multa fortissimè confecisti; vt ea non tantùm Alexander, aut Africanus, aut Annibal videre, cùm discerent rudimenta militiæ; sed parentes atq; institutores eorum optassent facere, dum docerent. A beato illo ac salutari Polonis die, placet vela orationis pandere: quo Te Tua virtus non ambientem vltrò præsen-

tauit ad faustè recipiendum diadema Regale. Quod postea quam in medio Reipub. sinu, omnium suffragio Ordinum, consensu omnium Prouinciarum Rex electus, spectante toto orbe recepisti: continuò Moschouitica arma Regnum inuadentia Tuum, Tibi imposuêre bellandi necessitatem. Aduerteras hostem naturâ barbarum, voluntate perfidum, multorum iniuriis annorum superbientem, inauditâ sæuitiâ memorandum, omnes etiam immanissimas gentes acerbitate quadam naturæ, & rabie furiosâ superantem. Cognoueras non contra leues Medos, imbelles Syros, Parthorum arma volatica, Tibi rem gerendam; sed cum ea natione, quæ sæpius rebellando, diu multùmq; Reges Poloniæ solicitabat: quæ sub tempus induciarum satis prolixum, Martis palæstram instituerat, ab Exteris peritissimos quosq; bellorum Magistros in exercitium sui aduocauerat, atq; ita omnibus pugnandi artibus instructa ad vsum & disciplinam militarem assueta, ingenti apparatu bellico, milite fermè innumero, audaciâ & confidentia innatâ, ad pericula, ad casum, fortunamq; sese munierat. Suscepisti nihilominus quàm acerrimè, tàm libentissimè eiuscemodi bellum; in consilio, nihil nisi diuinum Numen, Patriamq; charissimam habens. Gladium de solenni consuetudine Tibi traditum, ad defensionem Tui Regni, ad publicam scilicet protegendam rem animosè strinxisti: in vagina reconditum fouere, cùm populi agitur libertas, aliis ignominiosum; Polonis etiam nefas esse duxisti. Atq; iam Smolensco infinitæ hostiles copiæ, multiplici armatu-

râ,

râ, equis, commeatu, argento, auroq; imminebant abundantes: iam Lithuani præstantissimi, & verè Herculei animi Viri, cum strenuo & forti Imperatore insignem in resistendo eis, & gratam Reipub. operam nauarânt: Tu prosequente cœli fauore, Tuorum paucitati præsidia allatum iuisti; tantò lætiùs & alacriùs; quantò certiùs Te pietas paterna comitabatur, Moschum impietas: Te clementia, illum crudelitas: Te fides & iustitia, illum nefas, cum omni perfidia: Te sacrosancta religio, illum furor, & superstitiosa maleficia. Et licet si non tàm ad prælium committendum, quàm ad supplicium de fædifragis sumendum venires: consiliis tamen tantis bellum administrabas, vt cum quouis Rege vel Imperatore summo certaturus videreris. Sapienter ratus interdum generosos Elephantes deludi à contemptis syluestribus feris. Primò enim Zaporouios (quorum industria ac fortitudo sæpenumerò est perspecta) in partem exercitus Tui aduenire mandasti: deinde populis barbarorum non inuitè suppetias offerentibus, commilitonum munus, spolia acquirenda indulsisti; mittens eos in vastationem Moschouiæ remotioris; vt & militi auxiliator accederet, & hostis à fronte, & tergo infestâ armorum depopulatione premeretur. Digna sanè res erat admiratione, & felicitas optabilis annalium monumentis inserenda, hostem hoste oppugnare. Sed magis mirum, quòd voluntarius ibat sub auspiciis Tuis hostis sæpe Polonus; & signa contra quæ stare solitus erat, sequebatur: quòd Scytha ille ex immensis camporum spatiis ad imma-

 nitatem

nitatem genitus, & qui nullius Regis ſtudioſè amicitias curat; nullum Monarcham ex animo veneratur; militabat alacer in ſpem Tuæ gratiæ: pro omni merito id potiſſimum vnum repoſcens; vt Vladiſlauianus, vt Tuus miles diceretur. O quanta fuit virtus, hæc ambitio! ô quantum vinculum ad obligandos homines, optimi Regis maieſtas!

Copioſâ extulerat laude amplificatrix veri antiquitas Prouinciam Galliam, quòd illa ſola verè & artificioſè potuit exprimere vim eloquentiæ & dignitatem, nouo atq; inuſitato Herculis ſimulacro. Quid de te poſteri dicent ô Polonia! quàm à diuerſis, & longinquis locis confluent ad Te Ciuitates! quàm amplum, & ſpecioſum argumentum Hiſtoria, ſtylus omnis accipiet à Te! quæ ſola non pigmentis coloratam, non lineamentis conformatam Regis imaginem; ſed qualem Atticus Xenophon ſuum Cyrum cupiebat; qualem ſæcula expetebant; genuiſti viuentem, bellantem, mundi admirationi expoſuiſti. Hercules ille Gallicus vinculis & catenulis auro electroq; confectis, ingentem hominum multitudinem ob linguæ ſuauitatem trahebat ab aure omnibus reuinctis: & quantumuis valde tenuibus ducerentur vinculis: tamen neq; fugam facile occurrentem, neq; vllam tergiuerſationem cogitabant; verùm cum alacritate & lætitia ſequebantur ducem admirantes, vltrò feſtinantes omnes, & laxatis torquibus, etiam anteuertere ſtudentes; perinde quaſi grauiter laturi, ſi ſoluerentur catenis. Tuus Rex inuictiſſimus, cùm poſſit dici ipſa copioſè loquens ſapientia; amore tamen, beneuolentia, humanita-

te,

te, clementia, bonitate, & aliis multis virtutibus longè præstantioribus facundiâ, in obseruantiam, in amorem suæ maiestatis attrahit vniuersos: atq; adeò effecit catenatos, vt & alieni gestirent ei dulcem seruire seruitutem; & Sui, post auocatum publicâ fortunâ omnes solicitari debuissent, omnes inter se conqueri, optimo Rege, velut benefico sydere tam repentè orbati. Hinc interea illud populi vnanimis excogitarat consensus; vt ad leuandum dolorem, ad permulcendos mærores, adhibendamq; consolationem aliquam, in absentia tanti Boni; quilibet vel effigie ipsius depictâ oculos pascebant suos; vel si id angustia vetuit familiaris; diuitem affectum in pectoribus pro Apelle statuebant: sibi iam non opes, nec honores exoptando; at simplex & vnicum erat omnium votum: salus, & reditus incolumis VLADISLAI Regis. Ita, ô Patria mater nostra felicissima, non modò fortissimos milites, expertissimos Duces, clarissimos Senatores, laudatissimos Oratores progeneras; sed Regibus quoq;, seu potiùs Orbis totius amoribus, & deliciis imperium beas. Quo nomine iam Tibi cedit Cretensis terra parui Iouis gloriata incunabulis: Rhodos aureo imbre opulentissima cedit; fidem constare nescimus; Numen verò mirabile, parentem nostræ vitæ, fortunæ, copiam diuitiarum nobis dedisti, cùm VLADISLAVM Regem habemus.

Verùm vt à re, à Te, Magne VLADISLAE non deflectat dictio. Venisti ad mænia Smolensci hostium barbarie vndiq; circumuallata; illamq; ingentem turbam, vel

Turcarum vastissima Regna diceres subacturam, si numerus non animus in acie depugnaret. Ergo prudentissimè statuisti, quàm primùm opitulari obsessis, atq; eos, quasi iactatione magna laborantes in portu respirationis collocare. Intercluserat ignaua natio aditum in arcem suis corporibus: & nec die, nec nocte via Polonis patebat transire volentibus. Tu quid eo loco consilij caperes, nondum planè definieras: vtpote, qui consulere assueuisti lentè, consulta exequi festinanter. Aderat non vnus Decius ex Tuis, qui cupiebat se deuouere, atq; immittere in armatas hostium copias: sed non placuit inconsideratè, sine iudicio, & ratione ad rem descendere. Iam conceperas esse fatuitatem, sedendo, aut votis debellari credere posse: audendo, agendoq; rem Polonam creuisse; non his sensibus, consiliisuè, quæ timidi cauta vocant. Sciebas in negotio salutis dilationem maximè haberi periculosam; multaq; bella impetu valida, per tædia ac moras euanuisse haud te fugiebat. Aperiendam igitur viam ferro censuisti: Claudium Marcellum Romanum igneo impetu laudatissimum imitatus Ducem; hostem à latere inuasisti, pugnasti, terrore compleuisti. Ferebant initiò minus in prima & altera munitionum oppugnatione fortunam fauisse Tibi: sed ignorabant; petitos etiam Leones infestis formidolosos animalibus: & perculsum tantæ fortitudinis pauore loricatum ceruum Prozorouium, facilè vnà cùm numeroso grege, desertâq; statione, diluculo sese in fugam coniecturum non sperabant. Quo tam nauiter & strenuè fugiente, cæteri quoq; similis

ſimilis audaciæ, ſolo forſitan officioſo tormentorum fu-mo, velut examina apum, loco ſuo exacti, ſublimi Tuæ ceſſerunt virtuti; atq; Smolenſcum, etiam per foſſas & valla introitum liberum, lateq; patentem reliquerunt. Tantus fuit Tuæ Maieſtatis fulgor, vt quemadmodum ad Orientem Solis cuncta ſuâ luce luſtrantis, vniuerſæ tenebræ diſſipantur: ita glorioſa aduentus Tui celeritas, Perſonæq; conſpectus heroicæ, manus & animos hoſtiles exanimarat: & tanquam horrendæ caput Meduſæ clypeus Tuus, omnes propè in mirificum ſtuporem conuerterat.

Poſt fugatas itaq; timidas cohortes, pro animi Tui voluntate in omnes propenſâ non potuiſti conquieſcere; quin eos ipſos in arce, qui adeò hoſtili impetitione infeſtabantur, milites comiter inuiſeres; eorumq; egregiam in repugnando virtutem in defendendis mænibus ſingularem induſtriam collaudares. Quæ res, quàm optatam omnibus voluptatem, quàm inſolitam lætitiam, quantamq; attulerit alacritatem; ex ipſis Tibi occurentium oculis, fronte, & vultu, ex illa, celeritate ad iucundiſſimum Tuum ingreſſum complectendum, poteras colligere luculenter. Ita enim plauſibili exceptus es affectu: & tam præclara communis hilaritatis ſignificatione: vt quocunq; tuliſſes gradum, populus ſequendo, circumcurſando, præcedendo, vias obſtruendo, blandam Tibi facere viderentur iniuriam. Ipſi verò Ordines militum ampliſſimis donis à Te cumulati, ad oſculum Sacræ manus Tuæ admiſſi, quaſi Lethæo flumine, aut diuino poti nectare; omnium, quæ maxima

xima sustinebant, incommodorum, omnium ex vulneribus dolorum obliti sunt: Tui solùm perpetuò memores, effusâ ab intimis sensibus gratulatione, annorum longam Tibi vouebant seruitutem. Quid cùm templum religiosissimum S. Michaelis memoriæ dedicatum adiisti? nonnè illæ ædes licetsi vel calamitate bellica, vel temporum iniuriâ deformatæ, sibi tum visæ splendescere, & quadam gratulatione gestire? quòd ad veterem magnificentiam per singularem Tuam munificentiam sint venturæ: quòd Tu solus commotus squallidâ ac pulueris plenâ loci consecrati facie, sanctissimè votum nuncupasti; Te victorem, Fanum illud quàm primùm regali munificentiâ in antiquum splendorem restauraturum. Qua certè sponsione satis eximiâ, tam erga te facilem ac beneuolum Diuum MICHAELEM effecisti: vt sicuti olim Lescus Niger eius auxilio confirmatus, Iazygas Lublinensem regionem crudeliter depopulantes, inter Naruam & Nemenem penitus extinxerat; ne vno quidem de suis desiderato: ita quoq; Tibi, cum cælesti legione præsens affuisse colligitur, in toto felicissimo belli progressu.

Sed cùm totum Smolenscum in oculis adeò Te ferebat: interea illi fugâ bellantes confluxerunt ad Ducem illum suum caluum: vt fortè, cuius in auspiciis fortunam aduersam fuerint experti, in ductu meliores Diuos habuissent. At senex, pridem autumans mereri fustuarium, qui signa reliquit, aut præsidio decessit: auersatus Principem fugitiuorum, arcuit à castris, transfossas, tanquam mancipiis statiua as-

ua aſſignauit: ſpreuit Minutium, ſed nec ipſemet præſtitit ſe Quintum Fabium. Tu verò, qui in negotijs periculo obnoxijs laudandam retines celeritatem: abſq; mora profectus es contra hoſtiles turmas: & ne Tibi aſtutè vel elaberentur; vndiq; exercitum eis oppoſuiſti; vel ſubſidijs à Tyranno ſuo adiuuarentur, milites in cuſtodiis collocaſti. Nempè per quàm rectè inſidebat illud menti Tuæ: Argum eſſe oportere, qui belli Dux eſt; in tergo, in fronte, in capite, in pedibus oculos habere. Videras caſtra inexpugnabili vallo, & aggeribus vltra Moſchouiticam ſapientiam excogitatis munita: nihiloſecius, vt ex lucerna incenſa, vel lychno neglecto domi, nonnunquam haud mediocrem oriri conflagrationem: ſic ex priuatis Superiorum odiis, gradum ad futuram infelicitatem, non vanus augur præſentiebas. Perſpexeras ipſorum armaturam Tuis incitatiore impetu ruentibus nocituram eſſe: vbi nihil temerè ſecum agi aduertiſſent, veluti belluas in caueis incluſas, feritate ſylueſtri exutâ, non difficulter temporis proceſſu ad manſuetudinem, Tuamq; poteſtatem venturas. Nimirum, cùm abſtineres oppugnatione, non dubitabas, quin eos obſidendo ſuperaturus eras, qui vnà cum ſuo Duce ſeneſcebant in dies: non commeatum, non ſupplementum, non pecuniam acquirebant: ſed ſingulis propè diebus, pecorum in modum conſternati, lignationis cauſâ diſcedentes cædebantur, fugabanturque: & plures aliquando Moſchorum ſtrages editæ, quàm Tuæ lenitatis, & miſericordiæ iura permittebant. Ad

extremum animum intentum habens, neque occasioni Tuæ deesse: neq; suam occasionem hosti dare curabas; coniiciens fore, vt illa multitudinis colluuies, frigore, gelu, fame, morbis, ærumnis potiùs, ac fecibus suis, quàm Tuo ferro consumeretur.

En Moschi (liceat illos breuibus appellare) quò perfidia vestra detestabilis perduxit vos! Cùm in prima accessione, nunc cuniculis clam, nunc machinis palàm impugnaretis Smolenscum: tum ipsius terræ, quam suffodiebatis, faucibus multi absorpti, perenne pabulum flammæ Tartareæ facti estis. Obsessos milites pristinæ virtutis, Poloni nominis memores, adhibito exercitu tam numeroso, alios inopiâ rerum affligebatis: alios ad deditionem turpi factione tentabatis; & ecce vix aspectus sui fulgur. Rex potentissimus intulit, subitò exhorruistis, omniq; furenti ac peruerso conatu posthabito, fugientes ignominiosè auolastis; ex fulminastris fastuosis, hostibus etiam odiosi apparuistis fugitiui: concurristis in illa aluearia, admunitiones, inquam, Vestri Ducis; arbitrantes vallum, & fossas, non armatos armatis obstare: cùm tamen ibi ipse aër pestilens ægrotationibus vos exanimauit, esuries confecit, locus ipse vindex, perfidiæ pænas exegit. O miserandam vestram vesaniam! ô cæcam temeritatem! ô importunam malitiam & conditionem nimis luctuosam! Iam enim non tàm inimicorum viribus, non aliquâ vastitate agrorum, quàm propriâ amentiâ, propriæ magnitudinis mole ruitis: & nunc intestinis dissidiis exardescentes,

nunc

nunc pauciorem exercitum fugientes, turpiſſimâ, miſerrimâq; morte, veſtris vitiis peritis.

Videtur, Sereniſſime Rex, id accidiſſe huic nationi, quod olim ingenioſa Pòétarum antiquitas affirmauit de Gigantibus: vt quoniam rupto imperio Iouis impetum feciſſent in Deos, atq; eos cœlo detrudere ſtuduiſſent; ipſi priùs cum probro ingenti fulmine percuſſi, & ad inferos erant detruſi. Ita iſti Gigantuli, quibus ex contumaci arrogantia iurisiurandi & fæderis Sacramentum violare, bellumq; Poloniæ indicere ludus & iocus fuit, Tibi pœnarum plus, quàm exoptares, dederunt.

Verùm ne aliena ſtultitia Tuarum virtutum ſplendori obſtrepat: ad propoſitum narrationis curriculum oratio conuertitur. Eximium profectò, & poſteris, imitandum Tui ſpecimen dediſti: dum hoſtem tàm inſolentem & ſuperbum, tàm validis aggeribus circumſeptum, tantaq; corporis & animi duritate formidandum, excellenti belli gerendi prudentiâ infregiſti: dum præter omnium conſuetudinem gentium, totâ hyeme, ſtipatus Te digno exercitu, in præduro, & frigoribus immenſis concreto ſolo, permanſiſti: & non modò cum hoſtibus ferina carne diſtentis, ſed etiam cum elementis ipſis pugnam Tibi deſumpſiſti: dum deniq; primus, aut cum primis gaudebas caſtra obire, operibus militum adeſſe, ſpeculatum egredi, modico & caſtrenſi cibo ieiunia longa ſolari; nullumq; laboris, nullum tædij genus recuſare: vt iam tunc abundè poſſet animaduerti, alios Regi pu-

gnare, Te Patriæ: alios tantùm imperata exequi, Te & imperare, & facere : atq; cùm Dominus clementiſſimus voceris; libertati ciuium inſeruire; pro omnium dignitate & otio, noctu diuq; vigilare, propriæ ſanitatis nullam propemodum rationem habere. Equidem Tibi aderant ſemper addictiſſimi, pro Tua comitate, & humanitate erga ſe, omnium animi militantium: verùm eos præcipuè hac laborioſâ diligentia, & diligenti prouidentiâ ita deuinxiſti ; vt pro Te millies, mortem libentiſſimè oppetere, quàm ſine Te ſemel viuere, malle ſe aliquoties proclamarent; ſuam etiam nunc beatam arbitrentur ætatem; quòd ſub tam indefeſſo & ſapiente Rege nacti eſſent facultatem merendi ſtipendia.

Sic Tua, Rex Magne, eſt virtus mirabilis, vt Te
Qui ſuperare velit, par velit eſſe Diis.

Quocirca, & hoſtes obſtupefacti hoc Tuo inuicti animi robore, illaq; aſſiduâ curâ, vigilantiâ, atq; induſtria in agendo incredibili adducti in metum, propendere cæperunt inclinatione voluntatis ad deditionem. Sanè quidem extimeſcebant Tyrannum in ſua metropoli debacchantem, iracundiâ & ſtomacho ardentem : verùmtamen magis voluerunt ſuorum capitum conſulere ſaluti; quàm eius atrocibus minis, & amentibus furiis parere. Quippe Græcæ fidei Moſchis, illud Græcum in memoria hærebat: γόνυ κνήμης ἔγγιον. Iamq; multi tabernaculis incluſi, tacitè ſuas calamitates lamentabantur: pleriq; tumultuantes inopiâ vulneribus, variaq; infirmitate depa-

ſti,

ſti, iam moribundi, poſtremum ſpiritum in admiratione nominis Tui, & ſui Ducis deteſtatione fundebant. Ingemiſcebat inter hæc Sechinus, & in modum amentis attonitus, ſæpenumerò ſeipſum allocutus: Quò fugio? prælíumnè tentabo? vt, cùm VLADISLAVM viribus integris ferre non potui, debilitatus ſuſtineam? Peto Moſchouiam? quam promiſſis victoriæ deluſi. Credo me Duci meo? ſed inuiſus ſum. Quid igitur faciam inter arma & odia poſitus? à tergo hoſtibus vrgeor: à fronte, domeſticis minis & execrationibus. Si mors acceſſerit, euaſeram: at ecce nec animum ſequitur manus, nec manum gladius, labat ferrum, fremit dextera, mens deficit. Heu quanta difficultas eſt, etiam calamitoſis interire. Implorat ergo deſperatione adactus, miſericordiam, Rex clementiſſime, Tuam: obſecrat delicti veniam: omnia ſua, ſuoſq; in deditionem pollicetur. Tu ſorte quadam cæleſti, conſeruando generi humano datus, ne indignis quidem benefacere deſtitiſti; indulgentiam, ſalubritatem, vitam exoptatam tribuiſti. Quàm iucundum non ſolùm hominibus, verùm ſyluis etiam, & montibus fuerat, illuxiſſe feliciſſimum illum diem, quo Tibi poſt conditiones acceptas, Imperator paulò antè elatus nimiùm & inflatus, exercitum, caſtra, clauam cum omni veneratione reddebat! Signiferi vexilla deponentes humi procumbebant: Tribuni, Primipili, centuriones, ſuas legiones cohortes, centurias, vt ſe proiicerent ſuppliciter ad pedes Maieſtatis Regiæ, deducebant: machinas, tormenta,

tela, ſcuta, & quidquid armorum ad petendum & tegendum, perfidia nefanda contra nos ad miraculum vſque comparauerat; totum id glorioſa virtute acquiſitum Tuâ, militari Poloniæ vſui offerebant!

Hæc cùm Senatus, Populuſque Polonus ſecum conſiderat; & Regum ſempiternæ recordationis excitat memoriam: cernit reuera, tàm priſtina Anteceſſorum Tuorum, quàm rectiſſima & pulcherrima Diui Patris Tui facta, à Te ſuperata eſſe. Non libens hoc fortè audis, Rex Potentiſſime; ſed illi, dum dicitur, gaudent de cœlo; & tranſlati ad ſydera, & quietis locum, adhuc creſcunt in ſucceſſore, creſcit Pater in Filio, & radius gloriæ in eos aſcendit. Sigiſmundus Primus, (vt alios antiquiores ſileam) afflixerat ille multis Moſchouiam cladibus: ſed non paucos nobilitate illuſtres, de ſuo amiſerat exercitu. Stephanus, eam quoque pernicioſè, fertur eneruaſſe: verùm antequam victor extiterit, bellum geſſiſſe diuturnum. Diuus Parens Tuus inſigniter eandem concuſſerat: ſed de tam laudabili & inuſitata, non egerat triumphum, deditione. Tu porrò incolumi ac penè integro milite, tantâ celeritate, tot millia Moſchorum Tuæ poteſtati ſubiugata habuiſti. Et quod nihil maius ad gloriæ magnitudinem adiici poteſt; illorum cruenta victoria, quaſi laniena, paulum crudelior comparuit: à Te ſatiùs arte & clementiâ Moſchi victi ſunt: nec ligati Duces, cæteraq; captiuorum turba, ante Tuum triumphalem ducebantur currum: at ſcelus domitum, proſtrata perfidia, audacia catenata, furor

vin-

vinctus, luxuries coërcita, libido constricta, nexu ferreo tenebantur, Ignoscent igitur pientissimi Prædecessores: Pater quoq; Tuus augustissimus SIGISMVNDVS III. ignoscit & hanc nouam rationem, misericordiâ vincendi, admiratur.

Sed neq; hîc tanta gestorum claritate circumfusus, receptui canere constituisti. Dimisso agmine deditio, & refecto aliquantùm exercitu, ampliorem mens Tua agitabat laudis materiem, & persequi reliquias victoriæ ad metam propositam. Aperire Tuis ciuibus terras, quas natura longè submouerat, animus æternæ commendationis appetens aspirabat. Enimuerò optimè ratione comprehenderas, illis à Te obsessis, tanto ignauiorem ad militiam populum in vlteriori Moschouia esse, quantò laxiorem habitet regionem: quippe flumina quò sunt latiùs diffusa, eò segniori profluere cursu: angustis ripis cohibita, & in strictiorem alueum elisa, torrentes inuehere aquas, docet communis experientia. Faciebant Tibi spiritum excelsiorem milites fidissimi: omnes ire paratos, quocunq; iusseris; omnes duelli, Martisq; discrimen impauidè subire, pugnare, periclitari, sanguine suo commendare posteritati nomen Tuum, clamor ipsorum alacritatis index manifestus denunciabat. Scilicet Poloni, cùm à Maioribus, tum à Te egregiè didicerunt; vt in bellica contentione nullum erga Reges beneuolentiæ pignus atque indicium omittant; vt eorum salutem suæ præponant; vt se metiantur non ætatis spatio, sed decoris amplitudine, vt non tàm annos, quàm victorias numerent:

merent:

merent: vt pro Patria extingui pulchrum ac decorum ducant, multamq; priùs, quàm longam optent vitam; vt denique in excolenda & adaugenda gloria, cui se totos à pueritia deuouerunt, nunquam meditentur cessationem. Inde sanè habent nobilissimam sagittandi peritiam, quam in eis Persa admiratur: equitandi scientiam, quam Hunnorum, Alanorumq; natio velit imitari, si possit: currendi velocitatem, quam Saracenus, Indusq; non æquat: armaturæ exercitationem; cuius etiam apud remotas gentes, exercituum Duces fortissimi vel pro parte exempla intellexisse gaudent.

Magnanimitatis ergo subsidio munitus, militumque talium comitatu circumseptus appropinquabas, Potentissime Rex, ad Albense castrum: vile quidem in primo aspectu aliis videbatur, atque altæ fortitudini Tuæ contemnendum: ast Tu illud ex artificio, non ex trunco corporis æstimabas; cùm aggeribus robustis clausum scitè, armisque succinctum spectares: & ne hostem etiam spernendum post Te relinqueres, acceptis exercitus aliquot millibus, cæterisque in Moschouiam distantiorem relegatis, accessisti animosus ad oppidum expugnandum. Obsistebant oppugnanti principio Albenses: præfecto suo obediebant animanti: pertinaciam sibi innatam aliquanto tempore non remittebant. At vbi frequentiùs à Tuorum pulueribus tormentariis denigrari; vbi grauiùs Moschouia tota cum suo Phaëtonte tumidê Solem Poloniæ appetente, radiis miraculosæ potentiæ Tuæ cæpit

pit aduri: ſubitò tantum æſtum, languor tantus ſubſecutus fuit; vt niſi ad vmbram clementiæ Tuæ confugiſſent, niſi pacis conditiones à Te datas complexi: fuiſſent: procul dubio omnes ſecum iam eſſe actum ſenſiſſent. Scilicet, alter Cæſar Auguſte, tanti apud Te momenti clementia fuit, vt quem Corocottam iam in Moſchouia, non Hiſpania latronem famoſum, & publico commodo multum infeſtum, ad vindicandum quæſieras, & pœnis afficiendum debitis; eidem, poſtquam ipſe ſpe euadendi, aut latendi abſciſſa, vltrò venit ad Te, pacem demiſſè oratum, & quæſitus Corocotta Corocottam, Moſchus Moſchum ſtitit; depoſitâ omni ira, & memoriâ tot facinorum, ignouiſti; Regemq; illum Deo & cœlo plenum exprimens imitatione, Abſalonem quamuis ſceleſtum ſeruare iuſſiſti; bonos iuſtitiâ, malos clementiâ concilians, potentiam Tuam non niſi lenitate, beneficio demonſtraſti.

Hæc ſunt Tua de ferociſſimo hoſte poſt hominum memoriam fortunatiſſima victoriæ monumenta. Hæ res geſtæ, ob quas Tibi gratiſſima meritorum Polonia, non ſtatuas auro nitentes, non triumphos areſcentibus laureis decernit atque tribuit: Sed Te inter ſummos Reges & Monarchas, qui Reſpub. rexerunt, illuſtrarunt, dilatarunt, apprimè collocandum putat. Et prout initium fauſtè præliandi in Te mirabatur: ſic modò de exitu belli iucundiſſimo, de recordatione dulciſſimæ huius victoriæ, lætitiam apertè fert abundantem: quòd ſcilicet non

molles aut remiſſos populos, quales amæna Græcia & deliciæ orientis producunt; non Cares aliquos aut Myſiæ homunciones, verùm Móſchos, ad omnem ferociam & immanitatem genitos, in rapinis atque cruentis cædibus exercitatos, multis nationibus bellicoſiſſimis formidabiles, & non magis imperij Tui, quàm totius Orbis Chriſtiani, atque adeò humanitatis ipſius hoſtes viciſti: quòdq; ſupra felicitatem omnium Regum, tot & tanta millia Moſcorum, tam ſuperbum Tyrannum, nec non totam Moſcouiticam regionem, longam quingentis (vt quidam referunt) latam quadringentis milliaribus, exiguo milite, celerrimè, glorioſiſſimè debellaſti.

Iure itaque optimo exultat vniuerſa Sarmatia beata Tuo regimine: namque id, quantalibet vis omnium gentium conſpiret in illam, armis impleat viriſque terras, claſſibus maria conſternat, inuſitatas belluas inducat, facilè præſtabit inuictam. Iure Academica Pallas toties triumphabat ex felicibus ſucceſſibus Regiæ Maieſtatis Tuæ: non fefellêre ſuam pietatem tot vota pro Te publicè facta; nec Tua eam fallit planè paterna prouidentia. Exteræ nationes meritò lætantur; nam cuius antè plenâ venerationis præſentiâ ornabantur; nunc eiuſdem Regis occupationibus, victoriis, quaſi quibuſdam propugnaculis firmiter munitæ in dulci pace & tranquillitate vitam propagant. Sola Othomanica inſania vt pote quæ in cæde atque ex cæde viuere didicit, & omni tempore in præda & ſanguine verſari; ſola, inquam, immanis

immanis atque importuna iſtorum natura, quia ventoſam Tibi, ſed minimè formidoloſam explicat Lunam, acerbâ vexatione animi diſcruciatur, noctes & dies ſine furore atque amentia conſiſtere non ſinitur: quippe impiè ac nefariè intelligens, nihil eſſe tam ſanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari ſuâ libidine, audaciâque poſſit. Tu verò Polone Macedo, vt Gordium nodum felici manu diſſoluiſti, explicata tam arduâ belli Moſcouitici difficultate & penitus ſublata: ita tibi Regnum Orbis terrarum fato deſtinatum habe; contra ius faſque errantes Lunas, Tuæ ſereniſſimæ Maieſtatis luce penitus opprime: Hydras, quæcunq; contra Te portentoſa capita erigere audent, vel interfice, fortiſſime Hercules noſter, vel ad Lernam paludem cum omnibus ſuis colubris expelle, extermina, eiice: atque ita cœlum gaudio, Poloniam gloriâ, Mundum Poloniâ, naturam ipſam exple ſatietate viuendi.

Committo me dentibus inſanientium, ſed veritatis beneficio liberandum. *Oroſius l. 2. cap. 2.*

fl.– 3

